

CLEMENTIS VII. PONT. MAX.

QUIBUS IN ARCE ANGELINA CON-
clusus libertatem redimebat. Anno

Christi 1527.



Rat namque totus quidem in conficiendâ pecuniâ liberandi sui, suorumq; Cardinalium causâ, Clemens: verum cum lentius procederet solutio, grassabatur interim Romæ octo millia Hispanorum: quatuor millia Italorum peditum: quos cum Lanoius ac Vastius educere conarentur, à seditiosis ad eadem quesiti, ægrè effugère, mansitque in urbe vivens suo arbitratu: insolens, avarus, libidinosus, impiusque miles, neglectâ abjectâq; omni disciplinâ ac imperio, circiter octo menses continuos: peste inter eos insigniter grassante. Cæsar factum hoc diligenter excusans nullo suo mandato accidisse dicebat: in primis autem ad Angliæ Regem ea de re scribit: & quanquam istud certò credat justo Dei iudicio contigisse, qui vim ac injuriam sibi factam sit ultus, tamen operam se daturum ait, ut hæc ipsa clades initium sit & occasio salutis Reipublicæ. Cum in Hispaniam esset allatus ejus rei nuncius, illicò cessare Cæsar jussit ludos, atque spectacula, quæ propter recens natum filium Philippum edebantur. Quin & brevi restituitur ab eodem in libertatem Papa Clemens post septimum captivitatis mensem: milites quoque Cæsariani, cum se abundè prædâ, libidine, vino, auroque satiaissent, insuper singuli duos à Vastio aureos acceperant, Ducum se Imperiis subiicientes, Romam dese-

runt. *Sleidanus.*